

item sermone donatum & opportunis momentis.

Meminit ejus Plaza in Chronicis ejusdem Academiae Lib. 5, cap. 39 n. 592.

† 518 D. BARNABAS PEREZ ET TURGIOS, Natione Mexicanus & Patria, insigni vit ingenio, multumque lubinde commendatus ab crudito Carmelitano F. Petro à S. Simone in Censura praefixa Operi de S. Rosa, quod statim dabimus, ludi Magister non modò ut pueri curis suis demandati graphicè depingerent litteras, casque syllabam addiscerent pro instituto saeregis, sed & ipse quoque litteris & carminibus ludere, ut erat in Hispanis numeris pangendis facilis nec incruditus, egregieque pius, ac sacris propterea argumentis poetice deducendis natus aptus ut dicitur. Edidit

Vitam Beatae Rosa à S. Mariae Virginis Limensis dimetris hispanicis alternis versibus a sonis compendio clausam. Mexici, Formis V. Bernardi Calderon 1670.

Utilitates ab audita Missa plurimas reportatas, hispanis majoribus numeris, vulgo Octavas rimas, expensas, acrostice ductis litteris orationem Dominicam adornantibus, e Sanctis Ecclesiae PP. & DD. palam dedit. Mexici, ex Typographia Joannis de Ribera 1684.

† 519 D. BARNABAS RUIZ DE VENEGAS, Natione Mexicanus & Patria, triplici ornatus laurea in Academia Mexicanensi

pro strenuè navata opera Philologiae, Theologiae, & Canonico Juri; Praesbyter factus, insignem se in Dioecesi praestitit, eum ab litteris & moribus, tum etiam ab administratis ritè Parochijs varijs, alijsque muneribus gestis. Illmús. Archiepiscopus D. D. Franciscus Manzo & Zuniga Vicarium ipse provinciale constituit Zimapani Curionem agentem: Ecclesijs successivè dein praefectus de Tarasquillo & Hueguetoca, Indos ceterosque suae curae mandatos crudivit & juvit, ut Pastorem decet animarum minime inertem. Quòd verò aliorum etiam in voris eruditionem haberet, tyronum praecipuè in Ecclesiasticis ministerijs, geminam pro ijs instruendis Moralis Theologiae edidit Summam, exigua quidem mole, exsuccam minime vel jejunam, imò doctrinae plenam. Alteram latino totam sermone conscripsit, cui titulu dedit:

De Institutione Sacramentorum, de Peccatis ac Censuris Ecclesiasticis liber unicus. Mexici, apud Franciscum Salvago 1631. in octavo Illmò. quem nuper diximus Archipraesuli Mexiceo dicatam.

Et hujus quidem Summae & editionis meminit D. Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hispaniae Nova tom. 1 pag. 146. Quòd vero anno 1646 exemplaria primum edita rarissima essent, alteram editionem adornavit & Summam, Latinae tantundem ferè vernaculo idiomate superaddens,

or.

omniaque perspicua quidem methodo, & opportuna instituto suo eruditione, cui hispanum praefixit titulum:

De Institutione Sacramentorum, Peccatis, & Censuris Ecclesiasticis, alijsque rebus scitu dignis & intellectu cum pro sacris hominibus, tum etiam pro viris prophanis. Mexici, litteris Joannis Ruiz 1646 in octavo, Nuncupatam civi suo Clarissimo D. D. Joanni Saens de Mañozca, tum temporis Quaestori Fidei Mexiceo, dein Goatemalensis Ecclesiae Antistiti.

† 520 D. BARNABAS DE VARGAS, Natione Mexicanus, ambigua nobis Patria, Praesbyter Secularis, idiomatum Mexicani & Othomiensis admodum doctus, utrumque professus est in Academia nostra, praehabita ad examen duplici concione, altera idiomate Mexicano sortitum sibi Evangelicum textum elucidante semihorae spatio, altera Othomiensi expendente dimidiam ite horam secundum sortem item praeroblatum Evangelij locum, atque utraque 24 horarum spatio adornata. Cathedrae possessionem tenuit bilinguis die 11 Februarij anno 1651, & pro commissio sibi munere scripsit

Opuscula Mexicana lingua mane tradenda.

Opuscula idiomate Othomiensi dicenda vesperè.

Ejus meminit Plaza in Chronicis Universitatis Mexicae lib. 4. cap. 23. nam. 201.

521 D. BARTHOLOMAEUS DE ALVA, Natione Mexicanus, cujus Patria nobis est in ambiguo, Parochiam de Chiapa de Mota Mexicanae Dioecesis perpetuo rexit titulo; atque ut erat sacris ornatus litteris, & in Mexicano idiomate callèdo eminebat (quod magnopere decus testantur, Operis, quod mox dabimus, Censores gravissimi Doctor Hyacinthus de la Serna, Archiepiscopus Visitator, & PP. Joannes de Ledesma, Primarius Societatis JESU Theologus, & Antonius de Carbajal, ejusdem Familiae doctissimus, omnes Mexicanae etiam celebres eloquentia) juveni ergo Indos atque ipsorum Ministros causa, Opusculum edidit Mexicano itemque Hispano sermone pro excipiendis Confessionibus, proque familiaribus concionibus ad Christianam Indorum institutionem, dictum Latine

Confessionarium majus. Mexici, typis Francisci Salvago 1634. in quarto.

522 F. BARTHOLOMAEUS DE ANLEO, Natione Mexicanus, Goatemala equitum Urbe ortus, Instituta S. Francisci in Provincia ejusdem Regni à SS. JESU nomine nuncupata sequutus, hanc actibus suis laudem promeruit, quae omnium ferax virtutum, & eximia perfectionis compendium est: *Regulam suam ad unguem & litteram observasse.* Insigni Linguarum peritià donatus, earum quae gentibus Regionis sunt

sunt usus, Præceptorem egit, quibus multos imbuit Sodales, Indis christiana sacra publicè privatimque instillatos. Nec verò vivâ tantum voce illis auxilio fuit, sed tribus etiam conscriptis Libris, qui hodieque non sine multo fructu teruntur.

Primus continet *Pro integra Quadragesima Sermones*, Mss qui à Ministris Doctrinæ circumfertur.

Secundus *Effectus peccati detestandasque ejus consequentias expendit*, Mss item aservatur in Bibliothecâ Primatij Cænobij Franciscani de Goatemala.

Tertius majori volumine, eximia stili perspicuitate atque eruditione ponit ob oculos *Servatoris nostri Vitam, Passionem, et Mortem*: Quem Librum varijs transcriptionibus propagatum Indi multi custodiunt, quorum non nulli Populi, antiquo usque adhuc more retento, id solenne habent, ut sacris majoris Hebdomadæ diebus in Ecclesiis convenientes, legentem è superiori loco egregiæ pietatis sensu excipiant, ut ab accuratissimo viro prædictæ Provinciæ alumno P. F. Antonio Arochena in Catalogo Scriptorum ejus ad nos perhumaniter transmissio didicimus.

† 523 D. BARTHOLOMÆUS DE ARANDA CIDRON, Natione Mexicanus, & ni fallimur, etiam Patria, Causidicus fuit nemini suæ ætate secundus, proptereaque in majoris momenti negotijs consultus, & à clientibus, ipsorum

ut implicationes causas proregeret, inquisitos, quos ipse ut consuleret, multa & docta quidem elucubravit. Extant edita ineditaque etiam quæ sequuntur Opuscula sermone vernaculo.

Pro D. Elisabetha Picazo in negotio Officina rei monetaria, Mexici, anno 1690 in folio, tacito Typographi nomine, ut id temporis usus in his scriptionibus obtinuerat. Extat tom. 4. Coll. Mendozianæ.

Pro Religiosarum Virginum à S. Bernardo dictarum Cænobio, adversus Patroni successorem sui agendum de persiciendâ Ecclesiâ alijsque Monasterij Officiis. Mexici, anno 1699 in folio. Habetur apud Oratorianam Mexiccam Bibliothecam.

Pro Medicina Professoribus litteram adversus Confraternitates trahentibus, transactionis cujusdam gratiâ factæ ut ægrotis ipsarum Sodalibus illi subsidio essent atque levamini. Mexici, tacitis anno editionis, & Typographi nomine, in folio.

Appendix ad juris Allegationem pro D. Emmanuele Sousa de Castro editam in causa Majoratus de Villanueva dicti, cum Castella Tribuno militum contendente. Mexici, in folio, tacitis anno & Typographo, habeturque tom. 15 Collectionis Mendozianæ.

Pro D. Francisco de Villanueva Cervantes Almirano, in causa iisdem Majoratus. Mexici, in folio, 1683. Extat apud eundem D. Ludovicum de Mendoza inter Opuscula non dum compaginata.

Pro

Pro D. Gabriele Antonio Guerrero Davila, Primogenia item bona petente extant Mss Defensiones geminæ tom. 47. Collectionis mox dictæ.

524 ILLMUS, D. D. BARTHOLOMÆUS DE BENAVENTE BENAVIDES, Natione Hispanus, Matrivi natus, Parentibus ea laude, ut alias prætereamus, conspicuis, quod è primis fuerint Expugnantibus Novæ Hispaniæ, Domicilio Mexicanus & munere, scilicet Antequerensis Ecclesiæ Goaxacensis Episcopus, eidem ab anno 1643 præfuisse scripto mox laudando compertum habemus, emortualem diem annumque nescientes. Sacræ Theologiæ Doctor, & in Juribus Licenciatus, apud Limensem inelytam Academicam Cathedras rexat annis, ut minimum, viginti, qua nempe tempestate Antecessorem juris ibidem agebat Archiepiscopus postmodum Mexicanus Clarissimus D. D. Felicianus de la Vega, Noster Metropolitanæ Ecclesiæ Limensis Præbendis defunctus & Sacerdotijs, ad Decanatus usque apicem evectus, ad insulas inde Goaxacenses vocatus, totum se pastoralibus curis tradidit, Clerici totiusque Diocesis boni sollicitus, Cænobium Monialium (ut credimus, nam quod illud fuerit tacitus ipse præterit) verustate collapsum proprio arte restituit, Collegium erexit, conditumque juxta Sactosanti Tridentini Concilij decreta Seminarium

inductis alumnis non infrequens esse curavit. Alia triennio peregisse testatur, quæ referre citra fastum posset innanemque gloriam, imitatus Apostolum, quis tamen narrandis superfedere maluit, nobis in præsentia silentium dolentibus, nec aliunde tanti viri gesta alia venantibus. Quod attinet ad ejus scripta, indicare multa non possumus quæ Academico ritu condidisse persuasum habemus, omnium destituti nominibus, una contenti, quæ nobis est in promptu, Hispano sermone, ad Mexicum Pro Regem missâ

Consultatione de rebus ad Parochias à Regularibus ministratas pervenientibus,

Quæ extat in Libro in folio *Allegationum pro Clero Angelopolitano* a fol. 112 in qua obiter enarrat, quæ nos hæcenus de ipso scripsimus. Quanti porro virum hunc Clarissimum fecit Excellentissimus Comes de Salvatierra, qui id temporis ad Mexicum clavum sedebat, palam fit ex subjuncta ibidem Epistola ad ipsum data Mexici 16 Junij 1646. Author autem ejusdem Libri, nisi fallimur, Illmus. D. D. Palafox, subdit, Nostrium è doctioribus esse hominibus, quos in Hispaniarum atque Indiarum Cathedralibus Ecclesijs id temporis Catholici, quem alloquebatur, Regis curâ florerent. Meminit ejus Agydius Gonzalez Davila in Theatro Ecclesiæ Goaxacensis p.

X2

232.

322 quem tamen Aegydiū plura hic à nobis enarrata fugerunt, interque ea Opusculum mox insequatum.

325 F. BARTHOLOMÆUS DE BURGUILLOS, Natione Hispanus, apud Beturiā natale solum habuit in Opido unde ipse cognomen. Ordinem Excalceatorum S. Francisci in Provincia à S. Gabriele nuncupata suscepit, unde in Mexicam S. Didaci, conversionis Indorum avidus commigravit. Hæc ubi illum 27 Aprilis 1612 adoptaverat, biennio post Novitijs instituendis Angelopoli abhūit, quos pro votis & expectatione ad virtutem regularemque disciplinam formavit. Mox varijsque temporibus & Grammaticæ tradendæ juvenibus, & legendæ Morali Theologia, & verbo divino ad populos prædicando à Superioribus destinatus, onera isthæc omnibus numeris rirè strenuèque explevit. Quod vero & in Scholastica itidem doctissimus esset Theologus, & in Juribus non parum versatus, multoties consulēbatur de difficilimis, & à Fidei Quæstoribus Cenfor institutus, Librorumque Revisor, voluminibus expurgandis, expediendisque commissis sibi à S. Tribunali negotijs frequentius incumbēbat. Ad hæc præfecturas gessit in Familia, non sine laude, varias, Provincialisque ornata munere, religiosè juxta ac sapienter rebus invigilavit.

326 At enim his priusquam officijs defungeretur, Regia præclarus Legatione jam fuerat egregioque merito. Scilicet anno 1613 F. Ludovicus Sorelus, Franciscanus, è vinculis, quæ prædicati causâ Evangelij patiebatur apud Japonienses, eductus ab (id quidem temporis) Amico suo Mazamune, Boxij penes eandem nationes Rege, Romam ad Paulum V Pontificem Maximum, Hispaniamque ad Philippum III Catholicum Regem, unâ cum Philippo Francisco, gente Japonio, mittitur, ut de amplectendâ à subiectis sibi populis Religione Christiana serio agant, colendaque cum Hispanis, præcipuè Septentrionalem Americam incolentibus, amicitia, atque commodo utrimquè instituendo commercio. Legatis cum in Romana, tum etiam in Hispana Curia, ut par erat, honorificè & grante exceptis; Philipus III è re sua & Catholicæ Fidei duxit Nuntios item ad barbarum illum Regem solennissimè destinatis, cujus ut genio obsecundaret & votis, Prædicatores è Franciscanorum gremio poscentis, ab eadem quoque Familia geminos immissit Legatos, Nostrum videlicet, Mexici degentem, & F. Didacum à S. Catharina, qui & ipse postmodum Mexicanæ Provincia S. Didaci nomen dedit. Paruere Regio uterque mandato consensuque Japoniensi nave, quæ pridem anchoras jecerat ad

Por-

Portum Acapulcanum America nostræ notissimum, Japoniam anno 1616 appulere.

327 Scenâ tamen mutatâ, quod heterodoxi Batavi Boxij Regis auribus instillassent, caveret benè sibi ab Hispanis hominibus, qui sub Religionis pallio acque humilis obtentu vestitus Regna sibi aliena præterderent, potentissimoquè subjugarent Monarchæ suo; Catholici Regis Legati vix non inurbanè recepti & auditi, repulsisque egregijs à Philippo III honoris ergo & amicitia ad Japonium Principem paratis donis, jussi sunt quamprimum excedere Japoniense Imperio, atque unâ secum Religiosos qui aderant omnes navi asportatos revchere, postliminioque in Americam restituere. Factum id tandem deumanis fluctibus superatis, nec minus quadraginta tempestatibus, iniquissimis ventis suis deque propellentibus navem, quæ tandem, Deo auspice, litora primùm Acapulco proxima, in quæ Noster cum majori vectorum & nautarum numero exscendit, dein Portum ipsum tenuit in pervigilio S. Mathiæ anno 1617. Nec potro nullum difficillimâ & præmolesta navigationis atque operæ extitit pretium, Nostro socijs que Religiosis nisu toto conantibus Japonios, navi vectos eadem, de salute pluries humanissimè monitos, veræ Fidei mysterijs imbucere, eosque salutaribus

aquis intingere, qui in maritimas undas proximè conjiciendi, supremum agebant spiritum, ac demum sic ad unum omnes cum supremo Duce sacris nostris aptare, ut Christianis deinde ultro se aggregare voluerint.

328 Interea loci, suum Noster Mexicæ Cœnobium replet, postquam unâ cum Sodalicibus, multa pro Japonijs atque Hispanijs Acapulcum appulsis beneficia impetraverat à Mexicanarum rerum potente Marchione de Guadalcasar D. Didaco Fernandez de Cordova Novæ Hispaniæ Pro-Rege, cui & suæ Legationis rationes dedit transmittendas ad Regem, & acceptissimus inde fuit. Venienti autem post quadriennium Marchioni de Gelves D. Didaco Carrillo Pimentel & Mendoza, in proximè memorati Pro-Regis locum suffecto, gratior longè fuit & acceptior, ut subinde conscientia moderatorem sibi illum adsciverit atque intimum consiliarium. Carò ei tamen id necessitudinis & muneris stetit, multa duraque perpetenti, & graviora longe casu nevtquam formidanti timore, nefasta quidem die quæ Quinta decima Januarij etiamnum audit, apud externos etiam Scriptores notissima ab excitatis Mexici turbis anno 1624 dissidij ergo Pro-Regem inter & Archiepiscopum Ecclesiasticæ immunitatis causâ, quod alibi commodius insinuandum dimit-

timus.

Yyy

tinus. Quod enim Pro-Regis acturus negotium, habito ad id cætu, tenuisset, Archiepiscopum sacris Pro-Regi interdiceret nequam posse, aut si forsitan in lata à communi Jure anathemata lapsus esset, palam id datis Edictis facere pariter non valere: istque Nostri sensus in ea rerum catastrophe lateret neminem, vulgares & è plebe, qui tumultuaverant plurimi, gravissimè offensus, in absentis Archiepiscopi Palatium, ijs sociatum qui ipsi opinando adhererant, violenter detrudunt, deteriora longè in eisdem caput molientes, ni suas Regium Auditorium partes interposuisset, atque inde eductum populari subtraxisset indignationi.

529 Rebus tandem pacatis Gelvesio Principe in Hispaniam Regijs litteris revocato, Archipræfuleque Illm^o. D. Joanne de la Serna Ecclesiæ Zamorensi præfecto, & Legato Regis Mexicum transmissio D. Martino Carrillo de Alderete, apud Supremum Hispaniæ Consistorium Quæstore Fidei, post Archiepiscopo Granatensi, qui in præteritam nuper tragediam inquireret, Huic Noster editum à se Libellum exhibuit, invidiam ut longe propelleret, quam sibi opinio illa confecerat, ab idiotis perinde accepta, ac si, quæ insita est Pontificali Dignitati facultas ferendi Ecclesiasticas Censuras, in dubium vocaretur & negaretur; Doctis au-

tem viris etiam ingrata, non ignorantibus, quo illam Author sensu condiderit & coarctaverit. Ut ut illa fuerit (cujus ad historicos crisis non attinet) totam seque Noster Judici Ecclesiasticà juxta Regiâque præpollenti jurisdictione, dimisit, eximijs in Opusculo illo argumentis datis, non modò egregiâ, qua dives erat, eruditionis, sed verò etiam christianæ virtutis, Catholico-Romanæ fidei tenax, humilitatis & charitatis cultor, qui acceptas haud ita pridem injurias æternæ oblivioni mandasset, & quam longissimè ab animo disjecisset. Secundum hæc Provincialis, ut dicebamus, electus, triennio Familiam ubi accuratissimè rexerat, rursusque Mexico Conventui Guardianus, ut dicunt, præfuerat, prælongâ divexatus ægritudine, unum ei levandæ auxilium nactus librorum studium (quibus Cœnobij Bibliothecam pro diversis Facultatibus locupletem reddiderat) multis religiosæ vitæ documentis exemplo Sodalibus fuit, donec, Sacramentis munitus, è vivis excessit 9 Maji 1638. Doctissimis hominibus fuerat in pretio, à quibus Academicis juxta Religiosisque sæpe consulebatur, signatimque ab eorundem Antesignano P. Doctore Petro de Ortigoza Soc. JESU, quo cum familiaris erat ipsi necessitudo. Clarissimus F. Balthassar de Medina è cujus Chronicis lib. 3. à cap. 27 ad 30 hauserimus hæc tenen-

enarrata, ibidem n. 579. testatur, Nostrum edidisse quem mox diximus

Libellum supplicem.

Inedita verò & publico utilia bono reliquisse addit num. 584. isthæc Opuscula

De Magistratibus & Prætoribus Indorum.

De Contractibus in Argentinofodinis usu frequentibus.

De Empione Venditioneque Argenti & similibus.

De varijs Mercatoribus Navigantesque concernentibus.

De multis ad Regulares Spectantibus.

Constitutiones Provinciae Mexicanae S. Didaci una cum Apostolicis privilegijs. Mexici longè post funus Authoris 1698 in quarto, typis H. V. Francisci Rodriguez Lupercio.

Meminere ejus Fri. Joannes à S. Antonio in Bibliotheca Franciscana tom. 1 pag. 184. D. Antonius de Leon Pinelo in Occidentali t. 2 col. 803. Et Dr. Samaniego in Panegyri Archiepiscopi D. D. Manlo à se contextâ fol. 27 Nostrum consummatissimum & in Morali Theologia & in utroque Jure Magistrum cognominat. Illm^{us} quoque Augustinianus M. D. F. Josephus Sicardo, in Christianitate Japoniæ lib. 1. cap. 13 pag. 65. ejus in Legatione memorata gesta recenser, non sine elogio viri.

530 ILLMUS. D. M. D. F. BARTHOLOMÆUS DE LAS CA-

SAS ALIAS CASAUS notissimus laudatissimusque Chiapæ Episcopus, Hispaniæ, quæ natale ei solum dedit Hispalim celeberrimam Beticæ Urbem, decus eximium, Americae nostræ ornamentum, & pro Indis tuendis murus atque præsidium, Cleri Secularis, cui cooptatus doctrinâ & virtute præfulsit, honos, Prædicatorum Ordinis, quem apud Insulam Hispaniolam amplexatus fuit, fulgentissimum sidus, multas jam diu paginas, imò Libros etiam actibus suis & elogijs implevit, quibus subinde delibatis à nobis, ne recoctam lectoribus crambem videamur apponere, uberioris cupidus & fulioris sermonis à Authores mox signandos remittimus, quorum ad delicias usque pacis narrationibus poterunt. Parentem clarissimâ stirpe virum è Gallis ductâ, Franciscum, in Americam recens à Columbo detectam inelytum Argonautam anno 1493 insequentem, comitatum fuisse admodum puerum, D. Nicolaus Antonius, non sine locupletissimo teste Augustino Salutio Dominicano, in de monetis Hæbreorum Mss dicit. In Patriam redux anno 1498 Sactorum Canonum studijs ibidem incubuit, uti mox laudato arrisit Nicolao Antonio; Remensialis verò, qui solennius omnibus Nostri vitam elucubravit, Salmaticensis illi pro Canonico Jure imbibendo Gymnasia designat, subjungens, Licentiatus gradu,

du, à quo insignis & nominatus tandiu fuit donec regularibus se Institutis devovit, Academicò more donatum fuisse.

531 Ut ut id fuerit, non à doctrina tantum, sed à virtute egregium sibi peperit nomen, ut subinde Sacerdotio initiatus, unus fuisse dicatur è duodecim Clericis, moribus juxta litterisque conspicuis, quos secum in Hispaniolam Apostolicus Nuncius F. Bailus pro gentis christiana institutione detulerit. Cui & si alij placito refragentur, collatitia tamen omnes tenent suffragatione, è primis Nostrum fuisse Præbyteris in primatem illam Americam commigrantibus. Neo Sacerdos primum in Urbe de la Vega dicta, quæ Insulæ caput erat, sacrum solenni pompa fecit, propterea frequentiore Hispanorum & Indorum coronâ, gestituumque significationibus celebratum, quod nullum adhuc in occidua plaga Indijs Neomystem ad aras facientem exceperant. Inde in Cubam Insulam evocatus ab eisdem gubernatore Didaco de Velasquez, ut eo pro justitiæ negotijs uteretur ministro juris equidem peritissimo, ipsam ubi lustravit, atque in Jamaicam non longè sejunctam direxit, multis consilio suo & industria ad gentis juxta Hispanorumque bonum gestis, Indos in clientelam, ut dicebatur usus que ferebat, recepit, quorum officij & obsequij mox ipsum par-

ntravit, intimo, quoad vixit, dolore percitus & amaro sensu.

532 Cogitanti enim & animo sæpe volventi viro pijsimo & docto, egregia, quæ hoc nomine, nec una tantum larvâ, miseris Indis mala non imminabant modò, sed verò etiam passim & agmine facto occurrebant, se illis tempestivè alumnis subduxit, capique in eos & longè deteriores abulus concionibus invehi, ut avaros injustosque homines ab illis perpetrandis cõpesceret, divinoque ac naturali atque hispano etiam juri parent. Quod tamen frustra & incassum laborare se experiretur, ceu qui citharam surdis pulsaret, è re sua bonoque communi Hispaniam, se reperere existimavit, nervis omnibus & lacertis Indorum causam procuraturum. Et anno quidem 1515 eò quamvis appulerit, obitu tamen Catholici Ferdinandi Regis mox sublequato 2 Januari 1516, quo minus his posset insistere prædicitus, Hispaniolæ rursus sese commisit, sperans fore, ut acrioribus repetitis minis atque concionibus, auro inhiantes expertes que humanitatis in officio contingeret & cicuraret. Postquam verò ea monendi increpandique defunctus provinciâ, Hylam tamen, ut est in proverbio, inelamare cognovit, iterum anno 1517 in Hispaniam remeavit, opportunum à Catholico Rege unaque Cæsare afflictis Indis petiturus remedium,

dium, quod tandem anno 1519 constitutis sanctissimis legibus, anno proximè consecuto in pristinam Insulam secum unâ portavit. Intimare Regia decreta cepit, diuque ut in mores inducerentur ac multum instatit, quibus nihilo magis proficiens, Mundi pertasus, nuntium ipsi dare constituit, reque cum eximio viro F. Petro de Feria Prædicatorum Ordinis micantissimo lumine serio consulta, eidem se Instituto nuncupatis votis addixit.

533 Annos octo dein moratus in Insula, studijs, incumbens religiosusque ministris, Sodalibus quandoque Prior datus, audiens novas in America, quæ ad meridiem est, ab Hispanis fieri conquestiones, veritusque impendia à Belliducibus & militibus alijsque genti mala, ardor ille inextinctus multò referuit Indos juvandi, quo circa anno 1530 Carolum V allocuturus in Hispaniam trajecit, è qua obtentis Catholico Rege dignis sanctionibus, in Americam evolavit, Goatemalæque & Mexici quietius & pacatius Theologiam excoluit (quod Illmûs Padilla Davila & alij scripserunt) ut scilicet Jurium scientiæ, qua erat imbutus, subsidium Theosophiæ & robur pro instituto suo superadderet. Hinc ad Peruanos se contulit, cum monendi Conquistores gratiâ, Regiasque Schedules pro Indorum libertate & favore aperiendi, tum etiam Præ-

dicatorum Ordinis Provinciam extruendi unâ cum ijs qui inibi agebant Socijs. Rebus tamen multo Martis pulvere adhuc turbatis, subindeque, quod moliebatur, operi foundationis non opportunis ad nostros revertitur, arque in Urbe Verapacis conquietit Sodalibus aggregatus, quibus cum instituendis christianè Indis, non minimo fructu, invigilavit.

534 Ab Antistite Goatemalensi, cui auxilio fuerat in grege pascendo, virisque alijs de neophitorum incolumitate sollicitis anno 1549 iterum in Hispaniam dimittitur, ut à Carolo V Leges demum postulatet & Ordinationes Novi Orbis regimini, in re præcipuè Indorum libertatis, atque hanc consequentibus, obtentu eludendas nullo, citraque dolum omnem servandas. Cæsarem per id tempus extra Hesperiam agentem, triennio prætolatus, domi reversum, invisit tandem, & colloquijs cum eò habitis, tum etiam oblati ei libellis, de rebus Indicis ac multorum in eis Hispanorum abutibus certum reddidit. Agrè quidem errata illa nostrum Carolus tulit, navisque immortalem Hispanorum gloriam fedè ab his deturpari, qui ipsam ceteris ornamentis caducisque bonis ante ferre debuerant, pro eaque Cræsi ac Midæ divitias nihili ducere, in primis autem Dei, cujus egerant causam in Novi Orbis

conquisitione, mandatis nūtibus que libentissimè obtemperare.

535 Id circo, Vallisoleti in cœtum evocare iussit Viros divini humanique juris doctissimos, ut gravissimis undique ventilatis rebus atque discussis, quo opus esset remedio ipsi docerent, Cæsarque, ut in votis habebat, longissimè disitis & innumeris subjectis sibi Populis ac Nationibus subveniret atque consuleret. Evocatos inter Doctores adfuit Joannes Genesius Sepulveda Cordubensis, Theologus, & Cæsari à Chronicis, vir ab eruditione, doctrinâ, & eloquentiâ maximi habitus, Antagonistæ Nostri partes acturus, qui quamvis extra rationis orbitam à sœvis non paucis Hispanis nullus ipse decurrentia excusaret iniquè gesta; duriuscula tamen emollire aggressus & propugnare viva tunc voce, deinceps etiam scriptis datis, repulsam jure passus est, Nostro ex adverso illum Libris etiam & verbis quatiente, iterumque atque iterum arietante Theoremata æquitati & humanitati non admodum consentanea. Vicissè tandem obtinuisseque Nostrium causam, argumento sunt, præter alia, & editæ anno 1543 sanctissimæ Leges (quarum Author haberi debet Casas, ut Nicolaus Antonius scribit, quasque mox cū alijs Americæ regiminis negotiorum attinentibus, compaginatas Mexici edidit D. Vascus de Puga) & Genesij Sepulveda Liber de iustis

belli causis contra Indos suscepti, ab Hispano suppressus Consilio, postquam, negatâ illum typis eudendi facultate, Romanis furtivè typis prodierat: itemque D. Bartholomæi Frias de Albornoz Opus non absimilis argumenti à Quæstoribus Fidei Mexicanis proscriptum, uti monet Padilla Davila, nosque in loco dicemus.

536 Ovans, nec tam sibi lætus, quam Indis, quorum patrocinium susceperat, proximè erat in Americam ut regrederetur anno 1544 cum ad insulas Ecclesiæ del Cusco destinatur à Rege, queis tamen subductus, ad Chiapensem nostram dimittitur. Et verò honorem hunc pariter recusantem, eo tantum nomine Pinciani Sodales ut admitteret compulserunt, quòd Episcopali insignis dignitate, auxilio longè facilius atque potentius suis cæterisque Indis futurus esset. Ea de causa anno eodem Dominica Passionis Hispali in majori Basilica publicè inauguratus, sequenti Julio navem conscendit, Missionarios secum Ordinis sui in Americam deferens, in quam demum appulsus, nec nulla perperus ab his qui ipsorum obtinuisse cupidi, refracturumque etiamnum noverant; Ecclesiæ suæ sistitur anno 1547. Hic dius pernoxque & commissos sibi & cæteros Indos volvens cogitatione, omnium ut auspiciatus provideret incolumitati, atque adversantibus op-

portunius occurreret, Ecclesiæ abdicari suæ, bona cum Romani Pontificis venia, ad obitumque usque Vallisoleti Hispaniarum apud S. Gregorij Collegium subsistere, decrevit quidem, & exequutus est anno 1551. Et ibi quidem annos quindecim ad extremum usque diem suum commoratus ita est, ut Indorum negotijs eximiâ deditus charitate tractandis, animæ item suæ & Dei gloriæ, queis nil habuerat antiquius, totus invigilaret, orationi diu incumbens, cæterisque christianis virtutibus, quas in longissimè traductâ ætate sanctè coluerat. Ergo 92 annos natus, circa finem Julij 1566 ad optatam, ut par est credere, gloriam, post tot exantlatos labores migravit.

Scripta ejus, quæ plurima sunt, & è queis exteri Hispanos criminandi fugillandique occasionem passim arripiunt; ante quam recenteamus, operæ pretium duximus, illustrium è nostris Criticorum sensus monitaque præmittere, Gallorum post ab eruditione juxtâ & crisi commendatorum, testimonium subnectere, & coronidis instar argumento huic apponere exteri Authoris notissimi fragmenta aliquot P. Thomæ Bozj Eugubini, è Congregatione Oratorij, de Romana Catholica Ecclesia præclare meriti Libris de *Signis Ecclesiæ Dei* ab Eruditis plurimi habitis, nec sanctitate vitæ minus conspicui, Sancto Philippo Ncrio perchari,

cujus acta Thomæ jam diu legimus in Monumentis Historicis dictæ Congregationis à P. Joanne Marciano Neapoli editis, voluminibus quinque in fol. Principio quidem, vir Clarissimus atque in paucis doctissimus unâ & amœnissimus M. F. Michael à S. Joseph Excalceatorum SS. Trinitatis in Hispania Generalis Superior, volumine 3 Bibliographiæ criticæ sacræ & prophanæ pag. 114 articulo *Joannes Michael Pius Italus Sacri Ordin. Prædicat.* hæc paulo post initium habet. *Securissimè quoque edidit anno 1618 Vitam Bartholomæi de las Casas, sive Casaus, Chiapensis in Novo Orbe Episcopi, de quo ab exteris Scriptoribus multa passim jactantur, neque verâ, neque vero similia. Eorum falsitatem & jam pridem Nicolaus Antonius, & alij post illum detexerunt. Videri potest Epitome Bibliothecæ Occidentalis Titulo 1. à pag. 566 ubi plura cumulantur circa genuina præfati Bartholomæi scripta, & alia ipsi falso supposita, atque in odium Hispanorum invidiosè conficta. Hæc ille. Nicolaus verò Antonius in Bibliotheca Hispaniæ Nova tom. 1 pag. 149 ubi Genesij Sepulvedæ & Bartholomæi Albornocij scripta in Episcopum nostrum malè audisse testatur; de gestis ab Hispanis, quæ Noster impetiverat, verba faciens subjungit: *Excusari quoque multa posse rei necessitate atque bellico jure ab Hispanis gesta, quibus crudelitatis reatum atque enormitatis Bartholomæus**